HOMINIS ANALYSIS QUÆ PUBLICO SUBJICITUR PERICULO A MARCHIONE...

Orazio Sagramoso



HOMINIS ANALYSIS

QUAE

PUBLICO SUBJICITUR PERICULO

A MARCHIONE

HORATIO SAGRAMOSO

VERONENSI

IN NOBILI COLLEGIO PTOLEMAEO CONVICTORE

ET

ACADEMICO INNOMINATO

Facta cuilibet opponendi post tertium facultate

ACCEDET

MATHEMATICA EXERCITATIO
DE SECTIONIBUS CONICIS.



SENIS ANNO DOMINI MDCCLXXXV.

Ex Typographia VINCENTII PAZZINI CARLI ET FILIORUM

Superiorum Facultate.

Homini natura præscripsit, ut nihil pulchrius quam hominem putaret.

Cic. Lib. I. De Natu. Deorum.

HOMINIS ANALYSIS.

I.

NOSCE TE IPSUM ad fores Delphici Templi legebatur inscriptum, scilicet animi affectiones dignosce, immoderatas coerce. Ut quisque se noscat, hos quoque indicimus, ut scilicet qua industria, ac sapientia homo sit comparatus perpendat, & ad Ens beneficentissimum, ac sapientissimum assurgat. Maxima autem Entis ipsius providentia ex eo præcipuè effulget, quod hominem iis dotibus muniverit, quarum ope ad rerum Divinarum, & humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, contemplationem attolli possit; id quod optimè palam fiet, si ipsum in suas veluti partes resolverimus.

II.

Atque in primis aliquid in homine est, quod sensus intimus, sive Conscientia audit, idque ita clarè per se elucet, ut, omni adhibito conatu ad ipsum negandum, nullo modo nobismet persuasio extorqueri possit idem non esse, quod est, aut saltem esse videtur. Quod si hic sensus definiri velit, definitione fit potius obscurior: tanta est ejus evidentia, & perspicuitas.

III.

Hic sensus intimus dictat esse ea, quæ sunt, nec fieri ullo modo posse, ut simul non sit id quod est. Omni possibili modo experire, an tibi persuadere possis non esse ea, quæ sunt, nec videri ea, quæ esse videntur, naturam profecto sentiens reclamitantem.

IV.

Hinc sequitur, quod rei contradictoriæ, quæ nempe principio contradictionis adversatur, nullam haberi ideam possimus; cui nulla respondet idea, nihilum est; ergo de nihilo nulla nobis idea inesse potest.

V.

Conscientia itaque nec a principio contradictionis, nec contradictionis principium ab ipsa separari potest; utrum scilicet hæc duo idemque in nobis sunt.

VI.

Quidquid ergo per sensum intimum verum esse ostenditur, id ipsum per contradictionis principium demonstratur. Fingamus enim rem secus se habere: potent ergo sensus intimus a veritate principii contradictionis sejungi. Quod cum sit absurdum (5.) non est cur de hoc asserto dubitemus.

VII.

Certitudo, quatenus nobis inesse dicitur, est repugnantia oppositum de rebus judicandi. Non possumus autem de sensu intimo secus ac sentimus judicare, nobisque oppositum suadere (2. 3.); non possumus ergo de hoc sensu non esse maxime certi.

VIII.

Quorsum vero hæc disputo? Quorsum? Ut scilicet intelligatur mei existentia, omniumque mei similium. Ut deinde, nostra existentia demonstrata, quæ ex hoc fonte dimanant, ritè ostendamus. Quid sit existentia, longè clarius, ac facilius intelligitur, quam possit explicari. In quocumque tandem existentia sit constituta, vel in positione rei extra nihilum, vel in omnimoda prædicatorum, quæ rei ipsi conveniunt, determinatione, vel in actualitate, vel in quocumque alio, certum, exploratumque est esse in me, omni-

omnibusque mei similibus intimum sensum (2.). Hunc ipsum, quatenus in me similibusque mei reperitur, voco existentem. Quid ni? Profecto conscientia non est nihil, aliquid est (2.). Aut est id, quod actum voco, cujus idea est simplicissima, aut id est, quod agit, sive quod actum producit, aut tandem id est, quod mihi, & omnibus intimè est præsens, de quo profecto dubitare nequeo. Hoc vero est id, quod æquè a me, & ab omnibus dicitur esse, sive existere. Existit igitur interior hic sensus; cumque sit cum principio contradictionis necessario conjunctus (5), quamdiu in me est, haud esse non potest (3.), certi igitur sumus de ejus existentia (7.). Aut hic sensus idem est ac nos, ergo nos existimus; Aut est id, quod est a nobis, vel in nobis, nostri ergo existentia iterum comprobatur.

IX.

In hac existentia positus plures experior in me ipso operationes, quas perceptiones, ideas, cogitationes appello, quas in me esse certo scio per intimum sensum, quo ipsæ cogitationes, ac ideæ afficiuntur: attamen quæ sit earum natura, qui determinatus modus, quo oriuntur, aut in me existunt planè mihi est incompertum.

X.

Istæ operationes non ab alio a me diverso eliciuntur; ego enim sum, qui cogito, qui ideas habeo, qui percipio. Fac enim alium esse qui cogitat in me, cum cogitatio sit illius qui cogitat, jam hæc non erit in mei intimo sensu, sed in illo a quo oritur. At cogitationes, quibus afficior, intimè sentio, eademque conscientia in cogitationibus, quas meas voco, reperitur (9.). Fieri igitur nequit, quin cogitationes meæ ab alio a me diverso eliciantur.

XI.

XI.

Hujusmodi in me ideæ, cogitationesque eredem semper non sunt, verum nunc illas, nunc istas, & quidem nunc remissè, nunc intensè me afficere planè sentio. Rei quæ modo sunt, modo absunt, quæque idcirco in suo esse mutantur, vocantur modi, eorumque variationes modificationum nomine appellantur. Sunt igitur in me modificationes.

XII.

At quamvis continuæ in me sint idearum, ac modorum variationes, intimo tamen sensu admoneor, unum, eundemque me esse, qui diversas hasce ideas experior, sic ego, qui video solem, deinde non video, qui modo lunam, modo stellas, modo terram, modo mare aspicio, idem semper sum, eundemque esse scio: perduro itaque, & in mei existentia persevero, quin esse desinam.

XIII.

Substantiam voco illud ens, quod perdurabile est, & simul modificabile. Ego continuus patior modificationes, & continuè successivis afficior cogitationibus (11.), interim existentia mei perdurat (12.), sum igitur substantia.

XIV.

Quoniam ego substantia sum, & quidem modificabilis (11.) per ideas, & cogitationes, antequam per ipsas modificari possim, debeo existere; quod enim non est, nec modificabile quidem est. Substantia ergo mea prius est ordine saltem, & natura, quam quælibet cogitatio & idea. Est vero quælibet idea, & cogitatio intima substantiæ meæ (10.), ergo mei substantia est id, a quo intrinsecè omnia manat idea, & cogitatio. Id autem, quod est ratio sufficiens intrinseca alicujus rei, dicitur rei ejusdem intrinsecum principium. Quia igitur mei substantia sit cogitationum principium intrinsecum, non est ambigendum.

XV.

XV.

Porro principium intrinsecum idearum, quod nempe cogitat, ANIMA dicitur. Ergo existit in me, adeoque in quolibet mei simili anima.

XVI.

Vis nuncupatur principium intrinsecum actionum, est autem tale principium animæ substantia; Ergo in anima nostra datur vis cogitandi.

XVII.

Ego itaque, qui substantia sum (13.), continuas per ideas, & cogitationes patior modificationes. Jam vero modificationes non oriuntur ex essentia rei modificatæ, ut sint in re, sed tantum ut esse possint, ergo ex alio ortum ducunt, quod est extra mei essentiam, & existentiam.

XVIII.

Hæc mei substantia sibi continuè repræsentat tanquam existens quoddam objectum, quod constat partibus diversis extra se invicem existentibus, simulque unitis, objectum ipsum tanquam unum compositum efficientibus, & hoc vocat CORPUS. Huic substantiæ videtur esse præsens, & comes indivisibilis. Est ne tale corpus phantasma, aut quid reale? Intimum sensum consulamus. Ita vero, existentia ideæ corporis, non ipsius corporis existentia eruitur.

XIX.

Quid ergo? Numquid intactam quæstionem hanc relinquemus, victasque silentio nostro manus dabimus iis, qui Idealistarum nomina circumferuntur? Absit. Periculum ergo faciamus. Nemine dissidente, idea corporis nostri nobis continuè est præsens, & quidem vividè, velimus, nolimus, hanc ideam ad id, quod corpus nostrum dicimus, referimus; hoc per sensum intimum innotescit. Relatio ideæ alicujus

cujus ad objectum dicitur judicium, necessario ergo judicamus corpus nostrum nobis, ac cogitationibus nostris esse præsens; ergo certi de hac præsentia sumus: ubi certitudo, ibi veritas; ergo corporis nostri existentiæ veritas datur.

XX.

Innuet quis forsan: nuperius allata certitudinem, & veritatem idearum, quæ referuntur ad id, quod corpus nostrum vocatur, minimè veram, ac realem corporis ipsius extra cogitationes existentiam evincunt. Ast non hoc tantum, verum & objectivam ejusdem corporis existentiam ex idea ipsius necessaria deductam volo. Namque hæc idea aut ex eadem mei essentia profluit, aut aliundè: non quidem ab essentia mei, quod enim ab essentia dimanat, immutabile est; mutatur vero singulis momentis idea corporis mei, nunc enim vividior, nunc minus vivida, nunc distincta, nunc confusa, nunc etiam obscura, & (quidam Philosophi adderent) in profundo somno nunc etiam nulla. Igitur ab alio fonte deducatur oportet. Numquid a nihilo: hoc ne cogitaveris quidem (4.); ergo ab aliquo, nedum possibili, quia a possibilitate nulla est ad actum illatio; sed & actuali, ac existente. Hoc vero actuale & existens, aut est ipsum corpus, ergo datur existentia corporis objectiva, aut est aliud ab ipso diversum. Quid inde? Exhibet ne mihi hoc ens a corpore dissimile cogitandum corpus, quod involvat contradictionem? De re contradictoria nulla efformatur idea (5.), est ergo corpus possibile. Si possibile cur non existit? Cur cogitationi necessario tanquam existens mihi exhibetur? Numquid a Deo hoc fiet? At Deus summè verax est, ergo continua nos deceptione frustrari nec vult, nec potest. Numquid a maligno quodam genio? Unde corporis dumtaxat possibilis hanc hausit notionem? Unde ipsius in me tantum imperii?

XXI.

Quid plura? Nonne intima conscientia de evidentia existentiæ corporis nostri tanguntur ii, qui de ipsa dubitant, vel eandem negant; nonne pervicacissimis dubitationibus assensum interdum negare vel inviti coguntur? Quotiescumque directè, aut reflexè, ac serio cogitant, aut loquuntur, aut agunt, nonne ita cogitant, loquuntur, agunt, ut alia entia spiritualia, ac materialia sui similia extra se posita agnoscant? Neque enim (apposité Boscovichius) libros conscriberent, & ederent, & suam rationibus confirmare sententiam niterentur, nisi illis omnino persuasum esset existere extra ipsos, qui, quæ scripserint, & typis vulgaverint, perlegant, qui eorum rationes voce expressas aure excipiant, & victos dem um se præbeant. Homo profectò non est monstrum a se ipso dissentiens; & si natura hominis rationalis vera est, & existens, non potest nisi vera cogitare, & ineluctabiliter non sibi persuadere esse id, cujus opposita intima persuasio sibi est impossibilis.

XXII.

Hoc corpus, de cujus existentia dubitare non licet; quinque organorum generibus instructum mihi exhibeo, quorum nomina visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus, & quodlibet ex hisce organis peculiari motu donatum. Cuilibet autem organi animati motioni respondet sensus ita quidem varius, uti varia est commotio. Tanta de hisce organis, ac sensibus respondentibus est evidentia, ut qui de iis dubitet, dubitare jure merito possit de existentia corporis, de qua amplius non dubitandum.

XXIII.

Patet igitur esse in me animum, qui est principium intimi sensus, & cogitationum, neque a me ipso longè

abesse verum corpus, quod meum dico; ens proinde substantiale (13.), quod ex animo, & quidem rationali, ut inferius probabitur, & corpore organico conflatur. Tale ens Homo audit. Homo igitur existit.

XXIV.

At vero sunt ne anima & corpus in homine duæ distinctæ res, & substantiæ, an una tantum? Pro secunda quæstionis parte tanquam pro aris, & focis pugnant Materialistæ, & Idealistæ, unam in quolibet homine, imo in toto universo substantiæ speciem adstruentes, contendunt scilicet primi dari in hoc mundo, & in quolibet homine substantiam tantum materialem, & corpoream, quæ & motum exerceat, & cogitando periculum sui faciat, imo cogitationem in determinato quodam intestino partium motu constituentes substantiam incorpoream nec deri revera, nec dari posse arbitrantur. Idealistæ vero unam tantum substantiarum classem agnoscunt substantiis materialibus omnino oppositam, volunt scilicet præter spiritus nihil aliud existere in hoc universo, ipsumque universum, ac omnia corpora ipsum constituentia in ideis unicam sedem habere. De Idealistis non est cur disputemus, sententiam eorum explosimus, quando realem corporum existentiam demonstravimus. Videndum tantum an corpus nostrum existens cum anima sit unum & idem, an vero ab ipsa dissimile. Analysis operationum utriusque rem planam faciet.

XXV.

Si attentè quæ sint corporum phænomena inspiciamus, videbimus corpora ipsa ex innumeris a se invicem distinctis, ac separabilibus partibus coalescere. Unaquæque in corpore pars alteri resistit, ne ambæ unum, eundemque locum occupent, ne se invicem compenetrent: figuram, extentionem præseferunt: taceo innumeras alias proprietates, quæ

quæ se nobis in corporibus conspicienda exhibent. Constans in nobis vigilantibus est idea istarum qualitatum, quæ audiunt corporeæ, nec est in potestate animi eas jugiter non experiri; sicuti ergo constanti experientia, & evidenti quadam persuasione mei, aliorumque corporum rite deducitur existentia, pari jure existere in corporibus præfatas qualitates absque erroris periculo inferemus.

XXVI.

Quamvis istæ qualitates constanter in corporibus inveniantur, non tamen eædem numero, & in individuo sunt; partes enim corporum nunc magis, nunc minus sibi invicem resistunt: extensio corporis nunc major, nunc minor: eidem corpori modo plures accedunt partes, modo pauciores: figura etiam, quæ limes dicitur extensionis, mutatur. Continuè in corporibus, quæ sensibus nostris objiciuntur, tum existentibus extra nos, tum nostro partes non eundem semper servare locum, nunquam non istas exhalare, iisque novas succedere, tum per experientiam, tum per rationem innotescit. Si ergo anima, ut sentiunt Materialistæ, est ipsum corpus, aut pars corporis nostri subtilior, partibus gaudere debet, istæ sibi invicem resistant necesse est, non eædem in ipsa semper partes, figuram debet præseferre, magnitudinem, eamque aut continuè, aut identidem saltem mutare. Hæc omnia ex antea demonstratis sponte fluunt.

XXVII.

Hujusmodi mutationes sine motu peragi nequeunt. Motum in corporibus tum nostris, tum extra nos existentibus continuè nobis repræsentamus; eumque per observationes minimè interruptas esse videmus in corporibus, quando ex uno in alium transeunt locum, sive quando ordinem in coexistendo mutant relatè ad corpora externa, aut quando partes unius, ejusdemque corporis ordinem, & situm quoad se invicem

 mu-

mutant, quin tamen tota corporis massa ex uno in alium locum transferatur. Si Animam ponamus esse ipsum corpus, aut corporis nostri aliquam partem, cum mutationes in qualibet corporis parte eveniant (26.), & sine motu non possint absolvi, Anima utique motu gaudebit.

XXVIII.

Iste motus, qui in mutatione loci, aut intrinseci, aut extrinseci consistit (27.) est quidem actio. Omnis enim actio est status mutatio. Jam vero corpora, prout observationibus constat, per motum mutant ordinem in coexistendo, & locum vel internum, vel externum, qui quidem ordo, & locus est existendi modus, sive status. Motus igitur est actio propriè dicta.

XXIX.

Si intimius in motus naturam inquiramus, nobis se offert non tantum ut actio (28.), sed talem actionem in se ipso ostendit, per quam corpora agunt in alia objecta, non autem in semetipsa. Per motum enim corpus aut aliud impellit, aut ipsum premit, aut attrahit, aut in ipsum gravitat, vel reflectit, aut alia hujusmodi operatur, quæ profecto sine operatione corporis unius in aliud diversum nec esse, nec intelligi possunt. Firmum igitur stat motum esse actionem unius objecti corporei in aliud a se diversum, non vero in semetipsum.

XXX.

Per motum igitur corpora non possunt se determinare ad operandum. Fac enim, si fieri possit, corpora per motum se ad agendum determinare. Quoniam quod se ipsum determinat, actionem in semetipsum, non in aliud a se diversum exercet, corpora semetipsa determinando in semetipsa operarentur. At talis operatio a motu est aliena (29.), ergo per motum corpora ad agendum se nequeunt determinare.

XXXI.

XXXI.

Quamvis corpora per motum determinare se nequeant (30.), motus tamen, quamdiu in corporibus existit, est ipsis intrinsecus. Quid enim aliud est motus, quam corpus ipsum agitatum, sive tali modo ad agendum determinatum? Numquid motus sine corpore quod movetur concipi potest? Jam vero corpus motum a semetipso non discrepat, ergo quilibet motus, quamdiu est in corpore, ipsi intrinsecè inhaeret.

XXXII.

Cum autem motus, teste experientia, continuè mutetur in corpore, dum interim corpus ipsum perdurat, quin per motum corpus modificetur, nulli dubium erit. Est ergo corpus quodlibet, adeoque etiam nostrum substantia propriè dicta.

XXXIII.

Ex quo intelligere datum est corpus nostrum intrinsecum principium suarum modificationum, sive motuum continere. Superior demonstratio (14.) huc etiam collimat. Cumque intrinsecum actionum principium sit vis (16.), omne profectò corpus sua gaudet vi, scilicet motrice.

XXXIV.

Hisce in antecessum disputatis, ad Animae nostrae actiones propius accedamus, earumque natura, quantum per imbecillitatem ingenii fieri potest, expendatur, ut deinde, vi Animae cum corporis vi motrice comparata, an istae substantiae reapse una tantum sint, an vero plures tuto judicare possimus.

XXXV.

Animi nostri operationes ideae sunt, perceptiones, & cogitationes (9.). Pleraeque ex istis operationibus, si ad ea, quae in nobis eveniunt, animum convertamus, ope sen-

suum

suum nostri corporis in nobis oriuntur, & quidem diversæ pro sensuum diversitate. Non enim, judice conscientia, ideæ rerum visibilium, quæ nobis per visum proveniunt, aut saltem excitantur, sunt specie similes iis, quas per auditum, aut per olfactum acquirimus, nec unquam oculorum medio in nobis ideæ soni ingenerantur, nec colorum perceptio per aures nobis exhibetur. Hujusmodi ideæ mediis sensibus acquisitæ, aut excitatæ audiunt sensationes. Ad hasce sensationes excitandas adeo sensoria organa sunt necessaria, ut nec cæcus a nativitate ideam ullam colorum, nec surdus eam soni in se possit excipere: Organa ergo sensoria homini data sunt ad ideas rerum sensitivarum, aut producendas, aut excitandas.

XXXVI.

Istæ autem ideæ, si nobis objecta corporea repræsentent per notas, & characteres, quibus sufficienter objecta nobis exhibita distinguantur ab aliis, claræ nominantur, sin secus obscuræ. Jam vero claritas nulla sensationum in me est, si aut nulla fiat impressio in organis sensoriis, aut nimis remissè hæc ad motum concitentur. Claritas ergo idearum, quæ sensitivæ appellantur ab aliqua satis intensa sensuum commotione aliquo modo ducit originem.

XXXVII.

Ad ea ulterius, quæ in me accidunt, animum intendens, sensationes easdem vividiores, clarioresque experior, quo fortiores, ac magis intensæ sunt ab objectis externis impressiones, & indè ortæ in organis commotiones; contra vero tanto minus vividas fieri sensationes ipsas, quanto debiliores fiunt commotiones in organis. Magna itaque necessitado, atque harmonia intercedit has inter commotiones, atque animæ sensationes. Sunt ne animi ideæ, & organorum motiones unum, & idem? Præproperè curiosus in judicando lentè festina. XXXVIII.

XXXVIII.

Quamvis organorum commotiones quo intensiores sunt, eo clariorem producant ideam, nihilominus, si nimis intensè organa ipsa ab externis objectis agitentur, confusa magis oritur sensatio. Unde nam tale phœnomenon? Scilicet aut ex organo propter nimiam commotionem vitiato, aut ex perturbato in fibris organi motu, aut ex unione partialium motuum in uno eodemque physico puncto. Si enim nimium corpora ab aliis concutiantur, aut eorum partes divelluntur, aut pristinam amittunt figuram, aut alias quascumque eorum structura patitur mutationes. Cur ergo in organis nostris sensoriis ad quamlibet commotionem maximè pronis, & facilibus idem non poterit evenire? Profectò si motus sit perturbatus, nullus ordo, sed maxima haberi debet confusio. Cum igitur commotionibus organorum harmonicè respondeant sensationes (37.), mirum profectò non est si & ipsæ confusæ fiant. Quod si partiales motus in unum coeant, tum nulla impressionum partialium distinctio, ac proinde nulla distincta, sed confusa sensatio.

XXXIX.

Si unum, idemque objectum distinctas in distinctis organorum partibus producat impressiones, & organa ipsa bene sint affecta, partium distinctarum ipsius objecti ideam concipimus. Neque aliter fieri potest; idea enim quælibet impressioni respondet (37.): impressiones autem sunt per hypothesim distinctæ, ergo etiam idea a nobis habetur, quæ debet ideas diversarum impressionum, ac proinde partium diversarum continere.

XL.

Hæc autem idea unum, idemque repræsentat objectum, si impressiones in organo factæ sint contiguæ; aut si notabili aliquo intervallo sint inter se disparatæ, objectum ipsum

ipsum non unum, & continuum, sed aut multiplex, aut quoad partem divisum apparet. Objectum enim, quod contiguis, & simul unitis constat partibus, contiguas efficere debet impressiones, quae unam compositam, ac totalem constituunt, si nihil obstet; porro istae impressiones excitare debent proportionatas ideas, idea ergo unius objecti continui debet exurgere. Quod si impressiones fiant in diversis separatis organi sensorii partibus, haud possumus non percipere in objecto hiatus, ac divisiones.

XLI.

Verum, si res ita se habet, cur unum idemque corpus duabus manibus tractatum, non duplex, sed unum tantum sentitur? Nonne impressiones in ambabus manibus factae sunt a se invicem sejunctae? Haud dubito. Quid inde? Quamvis distinctae sint in utraque manu impressiones, attamen similes quoad sensum, & specificè sunt identicae. Ubi identitas impressionum, ibi etiam sensationum. Impressiones praeterea in utraque manu factae ad idem punctum, ut infra videbimus, pertingunt, & in unum sensibiliter coeunt. Ubi autem una composita continua impressio, ibi unius tantum objecti sensatio (40.). In hoc igitur casu non duplex, sed unum sentire debemus objectum.

XLII.

Cur ergo duo similia objecta, si loco sint sejuncta, similesque in sensorio efficiant impressiones, non unius tantum objecti, sed multiplicis oritur sensatio? Quia nempe motiones non sibi contiguae, sed intervallo sejunctae a se invicem sunt, neque in unum physicum, & continuum coeunt. Cum igitur objectum unicum videri debeat, quando impressiones omnes unam compositam, & continuam efficiunt (41.), in hac hypothesi nequeunt unius ejusdemque

obje-

objecti unam tantum ideam excitare, sed duplicem, adeoque non unicum, sed duplex videri debet objectum.

XLIII.

Cum omnis sensatio impressioni factæ re spondeat (37.), quoties objectum aliquam similem in organo producet sensationem, si nullus sit obex, similis etiam oriatur oportet sensatio. Si enim contrarium eveniret, sensatio impressioni non responderet, quod cum sit absurdum, redit principium.

XLIV.

Si ergo objectum sit idem, aut simile, similemque producat impressionem, sed non similis oriatur in mente sensatio, hoc fier, vel quia impressio eadem non eandem excitat in organo sensorio commotionem, vel quia si eandem, non eadem utique perseverat. Hæc enim diversa sensatio nequit ab eadem impressione dimanare, quia posita impressione simili, similis oriri debet idea sensitiva (43.), ergo a commotione diversa in organo excitata, aut in decursu diversimodè modificata.

XLV.

Cumque, judice sensu, & experientia, nihil sit absque sufficienti ratione cur potius aliquid tali modo sit, vel fiat, hujusmodi diversæ commotionis in organo excitatæ ratio est petenda ab impressione, vel a constitutione organi sensorii. Non ab impressione, quia, per hypothesim, eadem, aut similis est (44.), ergo ex diversa accidentali organi mutatione est repetenda.

XLVI.

Longum esset, & permolestum omnia enumerare, quæ in sensationibus, quatenus cum impressionibus ab objectis habitis conjunctæ sunt, spectari possunt. Tempus est, ut sensationes easdem in se ipsis consideremus, ut tandem aut de earumdem differentia a commotionibus corporis, aut de

 ipsa-

ipsarum cum iisdem identitate tutum ferre possimus judicium.

XLVII.

Quælibet sensatio, si sedulo eam inspicimus, est actus, quo objectum aliquod materiale ope alicujus organi sensorii repræsentamus. Hanc autem repræsentationem non alias, sed nobis fieri intimo conscientiæ testimonio erudimur. Est itaque sensatio actus nobis intimus, qui in aliud diversum a nobis objectum non tendit. Jam vero motus est actio non in se, sed in alium exercita (29.). Sensatio igitur est actio a motu corporum, quoad hunc respectum, toto cœlo diversa.

XLVIII.

Sensationes præterea motum ipsum nobis repræsentant, vel quatenus exercetur in nobis, vel quatenus afficit corpora extra nos posita. Si ergo per motum absolverentur, motus aut se ipsum repræsentaret, quatenus in nobis est, aut alium motum, & quidem nobis; Nullus autem motus nec se ipsum, nec alios motus nobis potest repræsentare. Denuo igitur constat fieri non posse, ut sensationes sint motus propriè dicti.

XLIX.

Motus quilibet, cum in aliquo absolvitur corpore, ipsius ordinem coexistendi relatè ad alia immutat, sive etiam, si omne tollatur impedimentum, corpus ex uno loco in alium transfert (27.). At quidnam simile in sensatione evenit? Nonne per quamlibet sensationem quantumvis vividam, si velimus, corpus nostrum de loco in locum transferri prohibemus? Non ne sedentes, aut accumbentes maximis afficimur sensationibus, quin tamen locum nostri corporis commutetur? Non bene ergò conveniunt, nec ad unam spectant naturam motus, & sensatio.

L.

L.

Quid plura? Innumeræ sunt sensationes; quæ corpora in quiete posita repræsentant. Ponamus hujusmodi sensationes esse quosdam motus, motus ergo repræsentabunt quietem corporum, sive corpora ipsa in quiete posita. Quies autem est motus privatio, uti omnes norunt Philosophi, igitur motus nobis exhibebit motus ipsius privationem, quod cum sit absurdum, fieri non potest, ut sensatio in motu consistat.

LI.

At desine plura; eveniat quis neget, ut per motum corpora in quiete posita tanquam quiescentia nobis exhibeantur? Nonne continuè imago alicujus objecti quiescentis in fundo oculi depingitur, quæ ob lucis motum singulis momentis numero ab alia diversa est, & tamen corpus in quiete positum repræsentat? Annuo: sed hæc ipsa exceptio plurimum causæ nostræ opitulatur. Detur enim in continua successiva objecti visibilis imagine, aut in quocumque alio simili motu hanc ipsam exprimente, sitam esse sensationem corporis quiescentis. Quoniam singulis momentis imago, aut motio imagini respondens non est eadem, singulis momentis pariter non erit eadem numericè sensatio, aut saltem idem non erit intimus sensus, qui sensationem ipsam comitatur. Intimè autem erudimur, aut sensationem eandem, aut intimum sensum toto sensationis tempore eundem numero in nobis esse, sivè saltem nos in continua, & non interrupta per aliquod tempus sensatione permanere, ergo id fiet etiamsi plures numero successivè diversas sensationes admittamus. Cum totius continuatæ sensationis conscii simus, aliquod ipsius vestigium in intimo sensu remanet, sed nullum antecedi motus habetur, aut haberi potest vestigium, eo quod motus absolutus tempore quocumque nec est, nec

 esse

esse potest motus absolutus tempore successivo. Fieri igitur non potest, ut in motu consistat idea corporis in quiete constituti.

LII.

Quoniam ideæ per sensus acquisitæ toto cœlo differunt a motu, qui in corporibus reperitur, dubio procul est: eas ab uno, eodemque principio non posse dimanare. Principium intrinsecum motus est vis in corpore motrix, igitur ex vi motrice corporum provenire non possunt; ergo idea ab alia vi a priore omnino diversa debet oriri.

LIII.

Hæc vis a motrice quidem diversa, ex qua ideæ oriuntur (52.), si attente nos ipsos perscrutemur, per intimi sensus testimonium ita modificari potest, ut potius ad unam, quam ad aliam contemplandam mens nostra convertatur. Hanc vocamus attentionem. Est igitur attentio vis activa, per quam ad unam præ aliis contemplandam ideam ducimur.

LIV.

Hujusmodi attentione, idea, in qua mentis aciem præ aliis defigimus, in nobis fit clarior. Per ipsam enim in objecto, quod consideramus, plures, quam antea, notæ sese nobis offerunt; quo plures autem notæ conspiciuntur, eo clarior objecti idea evadit; hinc attentio optime etiam definiri potest activa vis, qua una idea præ aliis clarior efficitur.

LV.

Ne tamen inferas, nullam penitus attentionem ad cæteras ideas claras ab animo nostro adhiberi. Impossibile enim est, ut anima ideam objecti alicujus claram efformet, & interim omni ad ipsam attentione destituatur. Omnis quippe idea clara, vel grata est, vel molesta. Si grata in nobis ideam voluptatis ingenerat, si molesta mœroris. Ubi autem voluptas, ibi aliqua mentis determinatio,

natio, aut propensio; propenso vero sine aliqua conversione ad id, quod placet, fieri minimè potest: ubi ad objectum conversio, ibi atiam aliqua fieri debet attentio. In idea igitur clara simul, & jucunda aliqua mentis attentio reperitur. Si autem idea sit injucunda, ac proinde moerorem in nobis producat, fieri utique non potest, ut ipsum non animadvertamus. Quomodo vero moeroris conscientia sine aliqua mentis ad ideam attentione? Patet igitur in omni idea clara aliquo attentionis gradu opus esse.

LVI.

Reponet fortassè quispiam: Anima per moerorem ab idea injucunda naturaliter refugit, quo igitur pacto ad ipsam per attentionem potest converti? Refugit quidem Anima ab idea moerore affecta, ideae tamen ipsius conscia prius esse debet, quam ab ipso se amoveat, & deber hanc ideam confusè saltem ingenito suae felicitatis desiderio contrariam recognoscere. Quomodo autem, Anima non attendente, haec fient?

LVII.

Attentio ergo quamcumque praecedet ideam? Non equidem: contra ordinem rebus constitutum hoc militat. Per impressiones correspondentes oriuntur ideae: hae animum excitant, ut se ad ipsas convertat; conversio autem ad ipsas, aut ipsa est attentio, aut attentionem gignit. Quamvis igitur idea clara attentionem necessario postulet, attentio tamen ideam ipsam consequitur.

LVIII.

Hinc non idem est objecto attendere, ac ejus affici impressione. Objecti enim impressio, ejusque idea inde derivata, ante omnem est attentionem (57.) Errat igitur Condillacus, dum impressionem cum attentione confundit. Revera, ut appositè advertit Bonnetus, impressio sensibus in-

flicta

ficta est aliquid compositum ex activitate objecti, atque fibrarum. Numquid vero ex objectis pluribus, itaqua diversis illud, quod activitate plus pollet, ad se rapit animi attentionem? Profecto si intima consulatur experientia, non possumus non intelligere in potestate nostra esse positum ad objectum, quod minori pollet activitate, nosmet convertere; quod quidem in sententia Condillaci evenire non posset. Quid? Quod, judice ipso Condillaco, dum animus sentit, merè patitur? Extra ipsum enim est caussa sensationem excitans; jam vero omnis attentio vis est activa (53. 54.). Tota igitur quantacumque est sentiendi capacitas attentio dici minimè potest.

LIX.

At quomodo hæc inter se parerunt conciliari? Si attentio in nostra est potestate, quonam modo in qualibet idea clara necessario aliqua attentio (57.) reperitur? Nonne etiam inviti attendimus ad ea, quæ nobis displicent, a quibus proinde attentionem nostram studemus avertere? Siste paulisper. Attentio in Anima duplici quodam respectu considerari potest. Scilicet aut veluti vis, vel ejus actus, quo voluptas, aut mœror ideam comitatur; aut veluti actus, quo ex pluribus ideis ad unam præ aliis aciem suam mens potest dirigere. Si primum, cum hujusmodi voluptatis, aut mœroris sensus animæ sit necessarius, quatenus est cognitionis suæ existentiæ naturalis effectus, naturalis quoque, & necessaria debet esse ad ideam attentio. Si alterum, tunc attentio in nostra potestate est constituta, ita ut ad unam potius ideam, quam ad aliam pro lubitu se possit convertere. Neque mirum, quod una, eademque vis, aut actus sub diversa ratione simul sit necessaria, & libera. Contradictio habetur quando simultanea necessitas, & libertas de eodem sub uno, eodemque respectu prædicatur.

LX.

Cum attentio sit activa vis, qua efficimus, ut ideæ clariores in nobis evadant (54.), ubi major attentio, ibi clarior relucet idea; ubi ipsa minori energia se exerit, ibi minus clara; ubi denique aut minima, aut nulla attentio, ibi nulla ideæ vividitas. Effectus enim suis causis sunt proportionales. Impossibile igitur est, ut in Anima sit idea clara, quin ad ipsam attentio defigatur.

LXI.

Hæc attentio non tantum producit cognitionem in nobis objectorum, eorumque idearum, verum etiam efficit, ut earum conscii simus. Attentio enim cum idearum claritate, ac vividitate est conjuncta. Hasce autem ideas aut referimus ad nos, aut ad objecta extra nos posita: in altero casu nosmet cognoscimus, adeoque conscii earum evadimus; in altero objecta tanquam extra nos posita nobis repræsentantur. Non possumus vero objecta sub hoc respectu considerare, nisi nos saltem confuse ab objectis ipsis distinguamus. Ergo in hoc etiam casu per attentionem idearum nobis conscientiam parimus.

LXII.

Neque tantum per attentionem idearum in nobis excitatur conscientia, sed etiam in ideas ipsas inquirimus, successive notas ejus investigamus, & ideam ipsius ideæ acquirimus; quo exurgit in nobis vividior conscientia, quam etiam cum Leibnitio apperceptionem vocamus, aut etiam reflexionem. Reflexio itaque nil aliud est, quam aut successiva ad varias idearum notas attentio, aut major ipsius ideæ conscientia.

LXIII.

Ideas sensibus nostris acquisitas, de quibus ope attentionis nobis conscii aliquando fuimus, quam plurimas in mentem

tem revocamus, licet objecta earundem idearum in sensus nostros non amplius agant, eaque tanquam præsentia nobis exhibemus; producimus pariter, intima testante conscientia, ideas rerum, quas nunquam sensibus percepimus, similes iis, quas produximus de rebus in sensus nostros incurrentibus. Est itaque in nobis potentia, & facultas revocandi ideas jam antea productas, atque objecta nobis exhibendi nunquam sensibus percepta ad instar eorum, quæ aliquando per eosdem sumus experti. Talis facultas audit imaginatio, sive etiam phantasia. Quin ergo facultate imaginandi præditi simus, dubitandum non est.

LXIV.

Hæc imaginandi facultas ex alio fonte oriri nequit, quam a vi sentiendi. Est enim imaginatio facultas ideas olim habitas per sensus revocandi, aut repræsentandi objecta, quæ olim sensibus non percepimus (63.) iis similia, quæ aliquando in sensus eosdem occurrerunt. Rationem ergo sufficientem in facultate sentiendi habet imaginatio.

LXV.

Sicut autem imaginatio ortum ducit a vi sentiendi (64), ita conceptus mentis nostræ, qui oritur ex imaginatione, quodque phantasma vocatur, ex aliqua oriri debet sensatione. Oriatur enim absque prævia aliqua sensatione in nobis phantasma, hoc profecto aut ex sola imaginandi vi, & facultate orietur, aut fortuito in nobis eveniat; non fortuito, etenim casus in Mundum induceretur, effectus nempe omni sufficienti ratione destitutus, quod profecto est contra sanæ mentis principia: non ex sola imaginandi vi, & facultate, a possibilitate enim ad actum juxta Logicos nulla valet illatio. Quodlibet ergo phantasma alicui sensationi est referendum.

LXVI.

LXVI.

Cum omnis effectus similis sit, & proportionalis suæ causæ, quodlibet phantasma illi sensationi, ex qua oritur, simile esse debet. Jam vero sensationes nonnisi objecta corporea, ac singularia possunt exhibere. Ergo etiam ejusdem naturæ debent esse phantasmata.

LXVII.

In phantasmate, quod excitatur, nullum objectum per ipsum præsens est, & sensus nostros afficit (63.). Phantasma autem non habetur, nisi per præviam aliquam sensationem; sensatio vero nonnisi ab impressione alicujus objecti præsentis, atque agentis in organa excitatur, debet igitur esse aliqua impressio in organo sensorio, per quam phantasma excitetur. Quales autem sunt impressiones, tales sunt sensationes; quare in phantasmate sensationi alicujus objecti respondenti excitando impressiones debent esse tales, quales fierent ab objecto, si adesset.

LXVIII.

Ex quo intelligere datum est excitandam esse aliquam impressionem in partibus organi internis, quoties hæc in externis deficiat; sine impressione enim non excitatur phantasma. Experientia autem constat, multas ideas phantasticas in mente oriri, quin aliqua in externis organi partibus excitetur impressio; debet itaque talis impressio in interioribus excitari.

LXIX.

Clarum inde fit, cur objecta per phantasmata exhibita modo in suis partibus divisa appareant, modo unita, & quidem ad instar unius; si enim impressiones, qualea fierent ab objecto præsente, ita fiant in diversis a se invicem aliquo intervallo disjunctis, atque minimè contiguis, quiescentibus interim fibris intermediis, objectum aut multiplex, aut in partes divisum apparebit, phantasma enim im-

pressionibus respondet. Cum ergo impressiones non sint contiguæ, ac proinde locus fibrarum intermedius omni vacet impressione, phantasma ad duo distincta separatim locæ referetur, ac proinde aut multiplex, aut in partes divisum repræsentabitur. Secus eveniet quoties impressiones omnes partiales contiguæ sibi erunt, quæ, cum unam compositam totalem impressionem efficiant, unum tantum objectum repræsentabunt, ac unum proinde phantasma.

LXX.

Ex his consequitur fieri posse, ut phantasmata objectorum maxime ridicula, atque in natura nunquam existentia in mente nostra oriantur. Si enim fibræ in diversis contiguis partibus diversimodè concutiantur, sed eadem ratione, qua a diversis, ac inter se maxime dissimilibus objectis afficerentur, phantasma oriri debet objectum repræsentans ex partibus compositum, cujus nec pes, nec caput uni reddatur formæ. Tales ideæ sunt phantasmata Centauri, Satyri, Syrenum, aliorumque objectorum, quæ in concreto spectata monstra videntur.

LXXI.

Somnium est series phantasmatum, quæ in somno recurrunt. Si una sit phantasmatum series, somnium dicitur simplex: si diversæ sint ipsorum series, compositum. Somnium igitur ab aliqua sensatione oriri debet (65).

LXXII.

Status vigiliæ est series continuata sensationum, quæ claræ, ac vividæ sunt; status autem somnii a statu vigiliæ distinguitur, somniantes enim non vigilant; ergo in somnio nullæ, habentur claræ, ac vividæ ideæ, ac sensationes. Somnium tamen ab aliqua prævia incipit sensatione, ergo talis sensatio admodum obscura est, & confusa.

LXXIII.

Cum somnium una cum vigilia stare non possit, & somnium non habeatur, ubi claræ & vividæ sunt sensatio-

neis necesse est, ut status somnii incipiat, ubi sensationes ipsæ admodum languidæ evadunt (72).

LXXIV.

Quamvis in statu somnii clara admodum sint phantasmata, quæ menti recurrunt, claritas tamen ipsorum tanta non est, ut sensationibus coæquari possit. Somnium enim somnum consequitur, & comitatur; sed cum in somno fibræ laxæ admodum sint, & sanguinis circulatio lentè admodum fiat, impressiones factæ tempore somnii in corpore tantam non possunt producere, aut in nervis, aut in fluido, quod nerveum appellamus, celeritatem: minori autem celeritati minor vividitas idearum debet respondere; ergo in somnio phantasmata quamvis clara quoad gradum vividitatis coæquari sensationibus nequeunt. Hinc primum inter statum vigiliæ ac somnii discrimen est repetendum.

LXXV.

Neque tantum in statu somnii phantasmata sunt minus clara, quam sensationes, sed etiam idem obtinet in statu vigiliæ. Neque mirum; primo enim objecta præsentia magis afficiunt sensorium, quam absentia, adeoque clarior excitari debet idea in sensatione, quam in phantasmate; præterea ipsa phantasmata excitantur sensatione aut nulla, aut admodum languida in mente existente (73.); sunt tamen præviæ alicujus sensationis effectus. Ut ergo non plus sit in effectu, quam in causa, nisi aliunde adminicula adveniant, phantasmata quamvis clara, nusquam cum sensationum vividitate sunt comparanda.

LXXVI.

Hinc generatim prima phantasmatum regula sic enunciabitur: sensatio vividior est phantasmate, quoties aliunde causa non extet, quæ per phantasma eundem in nobis excitet claritatis gradum, qui sensationem comitatur. Revera si præfata regula, sive lex generaliter non obtine-

fet, nullum plerumque discrimen intercederet inter sensationes & phantasmata, omnesque ideæ in mente inter se confunderentur, quod quis unquam admittet?

LXXVII.

Cum vero interdum fiat, ut phantasmata tantum claritatis gradum acquirant, ut sensationibus possint æquiparari, uti videre est in hypocondriacis, visionariis, pueris, ægrotibusque hominibus, & mulierculis, aliqua utique causa est adsignanda. Non quidem in natura ipsius phantasmatis haec debet reponi, quia phantasma ex sui natura minorem præsefert vividitatem, quam sensatio (76.); non in impressione facta ab objecto in corpore, quia objectum est absens; non in impressione facta ab objecto diverso ab eo, quod per phantasma repræsentatur, quia tunc sensatio excitata per hoc aliud objectum extingueret phantasma, & foret potius idea sensationis relata ad objectum non suum, quam phantasma; ergo vel a nimia elasticitate, aut irritabilitate fibrarum, quæ in statu præternaturali positæ sunt, aut a nimia ad objectum absens attentione id est repetendum.

LXXVIII.

Cum ergo aliquando fieri possit, ut phantasma quoad vividitatem sensationi æquiparetur, allata regula in omni casu sufficiens non est. Unde ergo certissimum deducemus indicium ad phantasma a sensatione distinguendum? Ab ordine scilicet, & connexione idearum cum statu antecedente, vel consequente; sensationes enim fiunt ordinate. Posito eodem objecto eodem modo agente, eædem fiunt impressiones, eædem sensationes nascuntur; Similitudo actionis objecti in organo, similitudinem impressionum, & impressionum similitudo idearum similitudinem producit. Mutata positione, distantia, relatione præsentis objecti cum orga-

organis nostris, mutatur impressio, ac proinde sensatio & status praesens sensationum cum statu antecedenti connectitur. Cur cibos non amplius appetam, ratio mihi praesto est, iis ad satietatem depastus sum, fruges in mensa appositas arripui, & ultra quam par erat comedi; defectus ergo appetitus ciborum cum statu antecedenti connectitur, idemque pariter cum consequente. Nullus ordo in phantasmatis producendis; saltus abnormes perpetrantur: ratio objectiva deest, cur potius hoc, quam aliud in mente mea sit phantasma, nulla connexio cum statu meo antecedente; nulla cum statu, qui phantasma consequitur. Mihi per phantasiam Constantinopoli degere videor; Imperator Turcarum praesens sistitur menti meae, video aulam, plateas, sedes, populum, aliaque innumera, haec omnia vividè me afficiunt, dubito an sint phantasmata; an vero sensationes. Praesentem comparo cum statu anteriori, nulla in me fuit deliberata voluntas illuc me conferendi, nullum iter suscepi, nullum mecum sumpsi viaticum, cum nullo unquam pactus, sum de hoc itinere, paucis ab hinc horis, vel etiam momentis Senis morabar, multa milliarium millia tam brevi tempore absolvi non possunt, nunc etiam Senis me esse reperio, peraca ante momenta in Turcarum Metropoli me esse putabam; hoc impossibile est. Nullus ergo nexus morae meae in Urbe Costantinopolitana cum iis, quae praecesserunt, & subsequta sunt; fuit ergo hoc somnium, ac phantasmatum series, non status vigiliae, aut vividarum sensationum. Per defectum igitur nexus cum statu antecedente, aut subsequente phantasmata optimè a sensationibus distinguuntur.

LXXIX.

Mens ideas rerum antea per sensus perceptarum non tantum reproducit, sed etiam, ut olim habitas, recognoscit.

Est

Est itaque facultas in mente ideas rerum olim perceptarum reproductas recognoscendi. Hæc autem dicitur Memoria. Memoria itaque mens pollet.

LXXX.

Pendet autem hæc ipsa memoria a facultate imaginandi. Memoriæ enim est ideas rerum jam habitas recognoscendi; non possunt autem ideæ recognosci, nisi per phantasiam reproducantur; memoria igitur ex phantasia oritur.

LXXXI.

Ex quo consequitur haberi non posse memoriam alicujus ideæ, aut objecti, nisi præcedat attentio. Attentio enim ideas phantasticas, & quidem claras (63.) necessario comitatur. At clara phantasmata ante omnem memoriæ actum se promunt; attentio igitur ante memoriam saltem exercitam in mente est reponenda.

LXXXII.

Hinc audiendus non est Bonnetus asserens memoriam anteire attentioni. Cum enim attentio cum clara imaginatione sit conjuncta, & ipsa imaginatio memoriam præcedat, consequens est, memoriæ omni præire attentionem.

LXXXIII.

Cum attentio memoriam præcedat (82.), impossibile est, ut in mente alicujus eventus detur memoria, quia prius attentio ad eventum ipsum fuerit directa; sed omnis attentio ideam claram necessario supponit, igitur sine idea clara eventus ipsius memoria ad actum prodire non potest.

LXXXIV.

Ubi igitur nulla est attentio, nullaque clara idea alicujus eventus menti exhibetur, ipsum nullo modo recognoscere possumus; secus enim conscius tibi esses, te hanc ideam aliquando habuisse. Jam vero ubi ideæ conscientia,

ibi

ibi claritas, ergo idea eventus olim clarè menti tuæ effulsit; quod cum hypothesim evertat, impossibile est, ut eventum recognoscas, cujus antea idea nulla fuerit clara.

LXXXV.

Cum memoria sit facultas actus, sive ideas olim habitas recognoscendi, ut mens possit tanquam suas ideas olim productas recognoscere, debent ideæ ipsæ menti esse præsentes, & quidem eædem numero & in individuo. Si enim ideæ, quas mens recognoscit, eædem numero non sint, sed specie tantum similes iis, quas aliquando produxit, recognoscet id, quod non est, videbitque intra se ideam olim productam, quæ tamen olim producta non est, cum per hypothesim sit tantum productæ olim ideæ similis in specie, non in individuo. Hoc est absurdum; quare cum mens per memoriam olim productam recognoscit, hæc ipsa idea in individuo sit præsens.

LXXXVI.

Hinc si nullum ideæ jam habitæ in mente maneat vestigium, nullus memoriæ ad ipsam revocandam locus superierit, sed æterna oblivione idea obruetur. Etenim ut mens per memoriam ideam anteactam recognoscat, hæc eadem numero præsens esse debet (85.). Sed nullo ejusdem ideæ vestigio remanente, eadem numero amplius esse non potest, ut per se apertissimum est.

LXXXVII.

Cum autem innumeræ sint ideæ, quæ ad mentem revocantur, quæque ab ipsa, ut olim excitatæ, recognoscuntur, innumera menti inesse debent ipsarum vestigia; hac ex parte quam profunda sit animæ abyssus intelligi potest.

LXXXVIII.

Mirum autem est, quam fœcunda parens sit imaginatio cum attentione, & memoria conjuncta. Sic enim ex variis

riis ideis, quas mens quomodocumque acquisivit, alias variis modis inter se conjungit, ac comparat, alias quodammodo abstrahit, ac secernit. Hinc facultas componendi, & dividendi, quæ simul sumptæ facultatem effingendi constituunt.

LXXXIX.

Si mens in ideis componendis eas conjungat, quæ secum invicem minimè pugnant, idea, quæ inde exurgit composita, figmentum appellatur: secus dicitur Chymera, quemadmodum == humano capiti cervicem pictor equinam jungere si velit, & varias plumas undique collatis membris inducere ==. Tales ideæ nullius sunt utilitatis, sed potius inepta luxuriantis imaginationis phantasmata, a quibus vir sapiens abhorrere debet.

XC.

Ut mens ideas inter se compossibiles componat, necesse est, ut in iis aliquam convenientiam, ac commune aliquid videat. Revera fieri non potest, ut eas conjungat, quas percipit discrepantes. Quid enim est ideas conjungere, nisi ipsas inter se convenientes, & similes aspicere? si ergo mens ideas componendo, inter ipsas aliquam non videret convenientiam, eas simul similes, & omni ex parte dissimiles videret.

XCI.

Videt ergo Anima in ideis componendis id, quod pluribus ideis commune est, sive id, per quod inter se ideæ ipsæ conveniunt. Id autem quid aliud est, quam ideas universales sibi comparare? In compositione ergo idearum mens ideas sibi cudit universales.

XCII.

Judicium est duarum, aut plurium idearum conjunctio, vel disjunctio; sed in idearum compositione mens eas con-

conjungit (88). Judicat ergo Mens. Hinc judicium pendet ab idearum compositione: idearum compositio ab attentione, & imaginatione; judicium ergo est attentionis, & imaginationis in ideis, quæ per phantasiam producuntur, effectus.

XCIII.

Cum autem imaginatio pendeat a vi sentiendi, & judicium, testante experientia, non solum de ideis, quæ ab imaginatione procedunt, sed etiam de ideis fiat sensitivis, omne judicium aut proxime, aut remote a vi sentiendi est repetendum.

XCIV.

Præter notas, quas anima perspicit pluribus ideis communes, alias etiam videt, per quas a se invicem differunt. Dividit ergo mens, sive distinguit ideam unam ab aliis, & quoad hasce notas agnoscit inter se non convenire. Ergo mens non tantum componendi, sed etiam distinguendi gaudet facultate. Non potest autem distinguere ideam unam ab alia, nisi eas quoad notas proprias a se invicem disjungat, & disjunctio idearum est judicium negativum, per facultatem itaque distinguendi mens judicia efformat negativa.

XCV.

Idearum compositio, quatenus respicit notas pluribus ideis communes, dicitur comprehensio. Comprehendit ergo mens cum ideas similes inter se conjungit. Jam vero comprehensio, & divisio idearum sunt una simul in mente, ut experientia comprobatur. Adest ergo in mente facultas comprehendendi simul, & distinguendi. Hoc est, quod intellectum vocamus. Intellectu igitur mens est insignita.

XCVI.

Intellectus ergo cujuscumque judicii fons est, & principium

cipiam: Ad intellectum enim pertinet simul comprehendere, & distinguere objectorum ideas. Ad comprehensionem autem judicia pertinent affirmativa; ad distinctionem attinent negativa, quare omnia judicia ab intellectu tanquam ex fonte suo dimanant.

XCVII.

Cum autem intellectus efformet judicia, sive idearum conjunctione, sive earum distinctione, potest ideas judiciorum cum aliqua tertia communi comparare, earumque nexum cum illa tertia videre, unde etiam nexus inter comparatas ideas appareat. Hinc oritur discursivum judicium, quod uno verbo ratiocinium nuncupatur. Non solum igitur ex intellectu judicium intuitivum, verum etiam ratiocinium originem ducit.

XCVIII.

